

JUBILÆVM
EVANGELICVM

Pro restaurato per

B. LVTHERVVM

Evangelio,

In Festo illius Anno 1717.

Redeunte

A T O T O
LVTHERANISMO

Solenniter vbique celebratum,

cantatumque

a
JOH. WILHELMO
PETERSENIO,

S. S. Theol. D.

BEROLINI,

Apud GODOFREDVM GEDICKIVM,
Bibliopolam.

M DCC XVII.

Coll. diss. A
208, 10

Diss. A. 208. (10)

MATHESIUS in historiâ Lutheri p. m. ii. 12. ob-
feruat, in cantico Ambrosiii, non sine omine,
per Cabalam contineri annum Reformatio-
nis Lutheri, & quidem in verbis: TIBI CHERUBIN
ET SERAPHIN INCCESSABILI VOCE PROCLA-
MANT. Quæ verba nos quoque in hoc Festo JVBIL-
LÆI SECUNDI repetimus, gratias agentes DEO,
pro Reformatione illa facta, quod etiam Wittenber-
genses in PRIORI JVBILÆO INTIMATO,
sculptâ Lutheri imagine, adduxerunt.





O! Triumphi! júbila concine,
Gratesque magnas fortius intona
Sanctissimo rerum Parenti
Sponsa pio sociata **CHRISTO!**

Dum **JVBILAEVM**, pulchrius
adspici,
Recurrit almo fydere, dum pedes

Euangelistarum bonorum
Per patulum spaciantur orbem,

Septena quondam tempora septies
Renata, Jobel clangere maximum
Sacris Leuitarum iubebant
Ordinibus, populoque sancto,

Tunc dissolutis carceribus pigris,
Et debitorum turba gementium
Vrgente nexu liberata,
Ad proprium rediere stemma,

Sic ludus olim scenicus & sacri
Insigniores sunt habiti dies,
Apollinis Dei & Dianæ
Festo iterum redeunte in æuum.

Si Mardocheum Thariadum genus
(Dixere Purim festa ea posteri)
Quotannis euexit fidelem,
Quum sceleratus obiret Haman.

Et si quotannis Rege Nicanore
Iuste interempto per Nemefin sacram,
Deo supremo supplicatum
Mensis Adar redeunte sole.

Nonne ergo nobis plaudere conuenit
Dum secularis iam noua gaudii
Lux enitescit? cum nigantes
Aufoniaeque abiere noctes?

Gemebat alto carcere gens pia,
Quondam papali tristis equuleo,
Quæ barhyton olim sonorum
Dardaniis religabat ornis.

Fuere testes Huss, Hieronymus
Pragensis, isti per Babilonicam
Vbique pulsati Leænam
In tetricas abiere syluas.

Vah! quale tempus! Papa Bohemicum
Totum per orbem sæuiit impotens!

Vix

Vix densior noctis caligo
 Ifiacos tremefecit agros.

Non sic Gelonus sæuus inhorruit,
 Non Sylla demens, vel ferus Hannibal,
 Hic Ochus ipse, & ipse Cinna
 Ac Phalaris pius audit atrox.

Non sic remugit Marmaricus leo,
 Cum dente sævo dilacerat feras,
 Non ira agrestium luporum
 In teneros ita sæuit agnos.

Non sic Nerones, vel Decii graues,
 Vel Maximini torua ferocitas,
 Vel cruda Traiani libido
 In decimis fremuere turbis.

Eduxit at nos magna Dei manus
 E tenebrarum nocte papalium,
 Et carceres rupit profundos,
 Perque suum nituit Lutherum.

Hic vicit ingens Islebius senex,
 Oestrô supremi percitus entheô,
 Ceu nobilis Leo Leonem,
 Pacificosque reduxit annos.

Exhinc bidentes surgere vidimus,
 Diffusa tutæ rura perambulant,
 Deoque plenæ glorioso
 Lætificâ sonuere voce.

Non tale grati Christicolæ pii
 Liciniô atroci flebile dirutô
 Orbi reductâ pace sanctâ
 Dulce Deo cecinere carmen.

Ergo canamus nobile canticum,
 Dum JVBILAEVM dulcius ingruit,
 Et voce festâ concinamus,
 Ceu pietas iubet ipsa, versum.

Non vna causa est, cur Latius Papa
 Clades stupendas à monacho datas,
 Proventuumque mille raptos
 Tot loculos doleat quotannis.

At mille nobis lætitiæ chori
 Panduntur, ipsô hâc tempore iubili,
 Quo Dardanorum sunt resecta
 Commoda, & opes, reditusque regno.

Hic Teuto, natus pauperuli patris,
 Rimantis æra seruitiô graui,
 Supernè thesauros polorum
 Spontè Deo sibi dante cernit.

Jo! ter Jo! Maximus Optimus
 Herôa nostrum non sine Numine
 Ostendit, & causæ misertus
 Innocuæ, populum recepit.

Nam Teuto noster, non dubio Dei
 Tractu latenti raptus, in asperam

Descen-

Descendit ignorans arenam,
Ecciacosque refutat aufus.

Is nundinator pessimus & vagus,
Mago Simoni par, vel atrocior,
Non ante visus nummulator,
Saxonicas veniebat oras.

Hunc Teuto adortus robore Martio,
Quæstum notabat, turpe lucri genus,
Et Brandeburgensi rescripsit,
Tale opus, Eccianumque taxat.

Remugit ingens Roma, & inhorruit,
Vespæ Latinæ murmura concitant,
Commotus est infernus ater,
Et Phlegethonte flagrauit orbis.

Romam citatur, quô veniat citô
Lutherus Autor, sed FRIDERICIO
Fauore motus Caietanus,
Ipse studet refecare lites.

Sed cum papalem Concilium super
Auctoritatem, & verba Dei super,
Hic Cardinalis eleuaret,
Irrita cuncta fuere gesta.

Deliberatâ hinc mente ferocior
Lutherus, vrsit verba Dei sui,
Nec vngue lato cesfit ipsi.
Causæ adeo bonitate fretus.

MIL-

MILTIZIVS nec voce sua efficit,
 Vt Saxo cedat, cedere nec potest,
 Namque ipsum adurget vulgus auctum,
 Et Thaidem Latiam perodit.

Exinde cunctis sunt Capitolia
 Commota rostris: Papa Leo nimis
 Rugire cœpit, atque bullam
 Intimat, Islebiūquæ damnat.

At ille contra, præsidio Dei
 Suffultus, urget, moxque Vicarium
 Christi, Petrumque Apostolorum
 Principem, & hunc caput esse, non vult.

Decreta magni Præfulis asserit,
 Non esse tanti, mox Babyloniam
 Romam vocavit, quâ relictâ,
 Ceu Latiâ meretrice, gentem.

Agnoscit illam, quam sibi sponsulam
 Elegit, & quam sanguine liberam
 Sponsus redemit, & perunctos
 Noluit amplius esse seruos.

Imo Antichristi Papicolas vocat
 Præambulones, quando superbior
 Papam stupendâ voce tollit,
 Atque Deum putat esse Roma.

Non audet ullus dicere, quid facis
 ô Papa! nam quæ vult, ea perficit,

Pare-

Parere restat, namque ab uno
Arbitrio simul omne pendet.

Sic facta sunt diuortia: rumpitur
Spes omnis, & pax omnis abit cito,
Sperata quondam, ac vniones
Disiliunt, ita fata versant!

Non fronte primâ visa fuit geri
Res tanta, Numen quam occuluit pium,
Quando renudarat dolosas
Tezelii Megalander artes.

Qui nundinator crimina vendidit,
Si vel Mariam concubitu malo
Stuprasset alter, virginesque
Et superos violasset omnes,

Esset paratæ fat veniæ super,
Essetque Romæ certa remisio
Speranda, nam, indulgente Papâ,
Crimina posse satis piari.

Vrbs septicollis cum rata dogmata
Haberet ista, & tota inhians lucro,
Exarsit iratus LVTHERVS,
Ac reliquas patefecit artes.

Hic vniuersum Romulidum genus,
Molem stupendam, funditus eruit,
Solusque strauit bellicosam
Hic monachus satis aptus arcem.

Mori paratus, vel cito vincere,
 Pro CHRISTO amato dedere se hostiam,
 Vt veritas vincat triumphans,
 Et propriis reniteret armis.

Fides repressus nescia fordidi,
 Sub ingruenti læta periculo,
 Non panicos timet timores,
 Arbitrio popularis auræ.

Consistit imperterrita, sicuti
 Fundata firmis rupibus est Sion,
 Nubes vt intrat altus Hermon,
 Vel Libani iuga summa montis.

Magnum hunc Lutherum, dignum Abrahæ Virum,
 Non ciuium ardor praua iubentium,
 Non vultus instantis tyranni
 Mente quatit solidâ, neque Auster

Dux inquieti turbidus Hadriæ,
 Nec iusfa Papæ, brutaque fulmina,
 De sede Tarpeiâ vibrata,
 Non stygiæ aut Acherontis vnda.

Ille vnus exit per medios greges,
 Per Infultos, per vada, per rogos,
 Per hostium densas cateruas,
 Magno animo, atque fauore Verbi.

Hic vnus inter mille ruens viros
 VVormatiæ deprædicat auream

Confessionem veritatis,
Vultque suum celebrare CHRISTVM,

Pauere discunt tot Latii greges
Hâc fronte visâ, tot mala nomina,
Tot cucullatorum phalanges,
Verticibus tremuère rasis.

Nempe hicce miles, ceu Gideon nouus,
Armatus ipso Numine promacho,
Hos Midianitas abegit,
Non humili rediens triumpho.

Cumque hunc videret nescio quis virum
Timore plenus, sed vacuus fide,
In cellulam, miselle, dixit,
Frater, abi, precibusque fufis

Ora Supremum, ne pereas miser:
At ille Simson, viribus haud suis,
At viribus fultus supernis,
Allophylos tremefecit omnes.

Vicitque cunctas hic Stephanus scholas,
Cadit Cyrene Romulea, & gemit,
Omnisque Alexandræa pubes,
Ciliciæque Asiæque turba.

Hunc nullus audet eminus aggredi,
Nec ullus audet cominus insequi,
Ac Cardinalis Caietanus
Teutonicum timet hunc Achillem.

Nam sicut orto lumine Phosphori
 Quærunt tenebras illico noctuæ,
 Tunc iubar Arcturi recedit,
 Perdidit & gladios Orion.

Sic orta pulchro sydere veritas,
 Vt pura sparsit lumina ab æthere,
 Fugère vulpes in cauernas,
 Nycticoraxque timet videri.

Verbi & perennis pura serenitas
 Villo tyranno cedere nescia
 Perstabit, æternumque stabit,
 Nec stygiam pavitabit vrnam.

Hæc sancta cœli filia, Veritas,
 Mansura cunctis temporibus Dea,
 Antiqua valde est, quamque vidit,
 In medio paradisus horto.

Perrupit illa fortius undique,
 Cum patriarchæ sese alerent fide,
 Evangelique voce pleni
 Justitiam fidei probarunt.

Illam tot actis flamines hostiis
 Fuère fassi, non dubiâ fide
 A G N V M immolantes innocentem
 Pro populi procerumque noxis.

Illam prophetæ, quotquot erant, piû,
 Illamque Jesse filius vnice

Omnes.

Omnesque adorant, & reiectis
Tot meritis, operisque vanis

Sequuntur illam: Hic sola salus sita est,
Hæc universos ara tuebitur,
Hæc sola nos, A G N I litatô
Sanguine, propitiat nocentes.

Huc huc respexit foedere pristino
Antiqua Hebræi natio nominis,
Apostoli hanc annunciarunt
Gentibus & populis remotis.

Illam Lutheri mens pia, spiritu
Repleta sancto, non humili fide
Armata, mox valere iusfis
Quisquiliis operum, fatetur.

Vah! quot crepabant & merita & preces
Claustris vbique, & diuitias suæ
Ecclesiæ, novosque calles
Papicolæ, tumidique fratres.

Hic præsul urget vota monastica,
At ille: migrent ad Solymæ loca,
Alter flagellando mereri
Vult veniam, attenuatque corpus.

Christumque cudit quisque sibi nouum,
Legemque seruilem ocyus innouant,
Negantque GRATIS esse gratis,
Quod merui, mihi redde, clamant.

Hæc ipsa Teuto viderat, Albulam
 Non esse talem, quam innumeris modis
 Tot basiatores petulci
 In superum retulere cælum.

Namque audit ipsis Roma vel vnica
 Cæli voluptas, Dardaniæ iubar,
 Longæua regnorum magistra,
 Et Latiaæ pietatis hæres:

Regina terris, quæ Pelago, & Styge
 Cæloque sceptris præsidet arbitra,
 Regumque prætergressa fasces,
 Vittigeris operetur aris.

At, his reuinctis undique fasciis,
 Collegit omnes ac nocuos rubos
 Combussit igni, moxque CHRISTVM
 Restituit Megalander orbi.

Florere cernas undique lilia,
 Vrbesque & agri, regnaque plurima
 Euangelizant, atque valles
 Nectar & Ambrosiam propinant.

Auditur ulmo turtur amabilis,
 Et ales apto murmure Daulias
 Figuratur odam, pura plenis
 Quærit apis sibi mella ceris.

Sic sic respirat mundus, & aspera
 Subtracta sensit tot iuga, quæ patres

Portare nostri nescierunt,
Impatiens oneris Quirini.

CHRISTI que Sponsi dulcia pondera,
Quæque ipse portat, sensit onus leue,
Crucemque portando beatam
Sponte suâ sequitur Magistrum.

Magnas litamus, non sine iubilô,
Grates JEHOVÆ, qui procul a iugo
Nos liberavit septicolli,
Legibus Aufoniis solutos.

Emancipamur: nos sibi liberos
Fecit Redemptor, sanguine cum suo,
Hæc sancta LIBERTATIS aura
Sceptra simul, populumque texit.

Serui sed ipsi iustitiæ sumus,
Sancto que Verbi tramite currimus,
Mandata seruamus beata,
Et Dominum sequimur volentes.

Ne crimineris: quasi nos negemus
Factis carentem iustitiæ fidem;
Nos ipsi aperte confitemur,
Esse fidem sine amore nullam.

LVTHERVS alto seruit & DEO,
Tantum ille fictum damnat hypocrisim,
Nihil mereri nos professus,
Tota salus precibus recumbit.

Proh!

Proh ! si quis illum fundere fors preces
 Audiuit, almi pectoris indices,
 Aut si perorantem cathedrâ
 Audierat studiosus ordo:

Cælo tonantem crediderat Jouem
 Regnare, & eius fulminis alitem,
 Fidum ministrum, qui trifulca
 Tela ageret grauis hic Pericles.

Quid ille posset, senserat atheus,
 Latens adulter, conscia criminis,
 Lasciua Thais derepente
 Intremuit, sua probra fassa.

Sensere duræ ac impenetrabilis
 Ceruicis aulæ, quando minacior
 Urgebat iram mox JEHOVÆ,
 Et docuit retonare legem.

Sin autem apertô pectore pœnitens
 Desiderabat mitia, quis fuit,
 Qui non reuixit, nec patienti
 Lasam animam reuocauit orco?

Talem decebat cernere promachum,
 Qui fratricidæ pectora Romuli
 Pulsaret audax, & valeret
 Subtrepidâs animare mentes.

Non vllus vmquam ex tot Patribus fuit,
 Qui casta sic de iustitiæ fide

Nobis

Nobis reliquit, postque Paulum
Nemo fuit similis Luthero.

Non vixit expers a maculis senex,
(Quis sanctus umquam abs maculis fuit?)
Homo est, humana a se LVTHERVS
Ipse etiam haud aliena censet.

Sanctique peccant, qui superis tamen
Fuere chari, charus erat David,
Quem laudat Filium Supremus,
Sit thalami violator olim.

Discipuli, gens paruula debilis,
Seruasse dicuntur verba Dei sui,
Thyathyrenses, Pergamenses
Præpositi placuere Summo.

Cur non LVTHERVS placuisset idem,
Qui ter fidelis seruus erat DEI,
Puramque doctrinam reduxit,
Iustitiamque DEI reuelat?

Nam sola CHRISTO gloria redditur,
Sanctamque nobis restituit fidem,
Catenulâ hâc manente salvâ,
Omnia salua simul manebunt.

Hic Teuto quamuis vltima tempora,
Nec, quæ sequuntur, secula viderit,
De quæis prophetæ sunt locuti,
Multa tamen videt hic futura,

C

Quæ

Quæ genti Hebrææ, Thariado gregi,
 Implenda restant: scilicet omnibus
 Non omne mystis dedicavit,
 Dat variè sua dona Numen.

Et quæ priora haud tempora viderant,
 Secuta cernunt; namque dies diem
 Docet, prioris est magister
 Posterior, retegitque multa.

Futura quid non restituet dies!
 Aetas parentum maior auis, facit
 Nos doctiores, mox daturos
 Progeniem studiosiorem.

Hæc ipsa iam tum præcinit angelus,
 Quem Numen ipsum miserat, & suo
 Hæc Danieli tempore imò
 Plurimam ait fore in orbe lucem.

Vidisset ô si hic Islebius diem,
 Atque ipse nostro tempore viueret,
 Non murmuraret luce obortâ,
 Vsque DEO daret ille grates.

Sat hic peregit maximus Hercules,
 Hydram triformem contudit igneam,
 Purgavit Augiæ fimetum,
 Eusebiamque reduxit almam.

Hoc non inultum terribilis draco
 Siuit, sed auctos agmine rusticos

In principes regesque cogit,
Miscet & inferiora summis.

Gauisa Roma est, læta tripudiat,
Malletque longum gliscere prælium:
Lutherus, inquit, eius auctor
Disfidii, & creperi tumultus.

Hic fructus illâ nascitur arbore,
Hæc bella surgunt ex nouitatibus
Evangelistarum nouorum,
Illa agitant lutei prophetæ!

Hæc falsa nostris scribitur actio,
Quis illa sanctis vellet apostolis
Imponere, ater quæ Phigellus,
Hermogenes, aliique cudunt?

Sub vere primô, cum veniunt aues,
Leuantque vocem gutture melleam,
Et musca procedit culexque,
Et strepero scarabæus ore.

Scriptit seuerè contra homines eos
LVTHERVVS, ipsi turba rebellium
Respondit, & derisit illum
Colluuiæ malefana Coreh.

Et quid LVTHERO talia inurimus?
Longe ante motus Austria viderat,
Algoia vidit, Würteberga,
Carniolæ, Styriæque campus.

Vis nosse verum ? sumpsit originem
 A lege Papæ, quam dederat piis,
 Lerna hæc malorum, quod JOHANNES
 FRIDRICIUS liquido fatetur.

Non ergo fax est, & tuba classicum
 Canens LUTHERVS, quem properaverint
 Tunc persequi, ni Numen Helle —
 Spontiacos animasset hostes.

Hi regna adorti protinus Itala
 Formidoloso milite Bistones,
 Regnator Epiri, & timendus
 Parrhasiæ moderator oræ.

Heu ! quantus armis, quantus adest equis,
 Quantusque sudor depopulantibus
 Campos Gelonis, cum tonaret
 Ferrea diluvies Gradiui.

Tunc Cæsar : præstat milite Bosphorum
 Ferire sæuum, non Alemannicum,
 Bellare detrectabit, at nunc
 Suppetias feret ille nobis.

Hæc cuncta cernens, concilium Papa
 Concesit æger, tunc CAROLVS pius
 Wormatiam Testem vocabat,
 Colloquiumque pium LUTHERO

Decernit, &, quò singula liberè
 Sic disputentur, dat quoque liberum

Rex

Rex commeatum , ne quis illum
Impetat , aut violare tentet.

Fuère multi, qui timidi fidem
Frangi a Latinis, thesibus ex suis,
Hæreticis non esse habendam,
Solliciti satis hoc putarunt,

Iterque tutum hoc esse negauerant:
At ipse tendit Wormatiam Dei
Vir, atque Præco veritatis,
Nec patitur inhibere cursum.

Aitque : si vel dæmones , & mali
Tot , quot vel ipsis ædibus omnibus
Sunt saxa, curram, confitebor
Verba Dei, nec ab his mouebor.

Non me mouebit magna Jouis manus
Tarpeia, quamuis pessima cogitet,
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

Cumque ipse Verbo cuncta probauerat,
Hic, inquit, adsto; en! ibimus, ibimus,
Quo fata ducunt, & reducunt,
Quo velit ire, sumus parati.

At cum in papæis præsidii nihil
Effet sacratæ codice paginae,
Vicit LVTHERVS, Veritasque
Egit ouans celebrem triumphum.

Oblata post Confessio Cæsari
 Augusta, quæ nunc, (gratia sit DEO!)
 Viget, vigebit in futura
 Secula, nec peritura terris.

Hæc lecta cunctis ordinibus fuit,
 Hanc audiebant auribus & suis
 Papæa turba, eamque Cæsar
 Ipse suis oculis legebat.

Hæc sunt profecto maxima Numinis
 Exempla nostri, qui regit abditos
 Regum timendorum recessus,
 Quique sui fuit umbo serui.

Vicit in ipso magnificus DEVS
 Et Veritatem hanc imposuit throno,
 Hoc testimonium serenum
 Per patulum penetrauit orbem!

Hoc mente vidit Præco Bohemicus,
 Confessor Hussus, tostus in ignibus,
 Vos anserem torretis, inquit,
 Meque meis dabitur favillis;

Si quinque vero lustra cucurrerint
 Quater reuersa, magno animo sonans
 Cygnus resurget, huius haud fas
 Aufoniis dare terga flammis.

Sic vidit olim nocte sub algidâ
 Elector ingens, quod monachus retro

Pennâ Quirinalis monarchæ
Tergeminam quateret coronam.

Ecquis negabit, tanta sine omine
Esse actitata? aut hæc sine Numine
Præuisa somnis? Tu, LV THER
Cygnus eras, volitansque penna.

Imo ipsa sanctæ oracula paginæ
Testantur illud, cum Philadelphiæ
Aperta conspecta est Johanni
Janua, non docilis recludi.

Hic sextus ille & nobilis Angelus,
Laudatus A G N O, tempora denotat
Aetatis illius LV THER I,
Introitum in animos habentis

Mortalium: nam tot pia dogmata
Admisit orbis, tam polus arcticus,
Quam Teutonum ora, tam Britanni,
Quam Daniæ, Sueonumque regna.

Tentauit illam claudere ianuam
Romana Dido, & ponere pessusulum:
Sed veritas, mouens lacertos,
Obicibus meat vsque ruptis.

Nam sicut æquor littora cum diu
Stagnata sentit, non patiens capi,
Spumat, suum quærens meatum,
Saxa rotat, nemus & reuellit:

Sic

Sic transit orbem hæc Filia Numinis,
 Volatque Præco per medium poli,
 Euangelique æterna scita
 Gentibus ac populis reuelat.

Hæc voce gratâ, menteque prædicat
 Diuus LV THERVS, sic fidei videns
 Regnantis incrementa gaudet,
 Robora, vimque habuisse Verbum.

Sic ille feruus, post Baaliticos
 Mystas peremtos, post Jesabelidem
 Nudatam, & editos libellos,
 In Domino requieuit ipso.

O! quam potenter, quamque fideliter
 Se brachiis & vulneribus sui
 Dilecti AMORIS implicauit,
 Atque Deum vocat esse Patrem!

Tam confidenter, ceu pueri solent,
 Vxor maritum, sponsula sponfulum,
 Fraterque fratrem: talis ardor
 Non tetricum expauescit orcum.

Nudum & timori cedere nescium
 Pectus per enses, tela per, & faces
 Totius orbis qui ferebat,
 Num timidus foret erga Amicum?

Deuicit orcum, Tartaraque & Stygem,
 Sublime calcans mundum epilepticum,

Totam-

Totamque damnati draconis
Colluuiem, reliquasque turmas.

Quiesce CHRISTO, sancte Senex, tuo,
Cui militasti militiam bonam,
Te te reuerfurum videbo,
In nitidis niueisque castris.

Audite, quotquot pingitis hunc senem
Carbone nigrô, quemque procaciter,
Cum viueret, scripsistis, ipsum in
Frustra minuta fuisse sectum.

Quid non libido vestra peregerit
Post fata? quæ non scommata tetrica
Trux Jesuita concitauit,
Plauftraque conuitii repleuit!

Rubete: vestras inficiat genas
Infame magnum, cede calumnia,
En! viuit ille, viuit ille,
Et superâ recreatur aulâ!

Nec est in ipsô mortua veritas,
Non ille dormit, qui vigilat pius,
Adhuc tuetur Israëlem,
Quem mediis quoque seruat vndis.

Post fata magni Teutonum Apostoli,
Qui morte raptus sub niueâ die
CONCORDIAE, concordiarum
Spes periit, creperi at tumultus

D

Inau-



Inaudiuntur : Papa animosior
 Cogit Tridenti concilium asperum,
 Cunctis timendum, & obstinatos
 Hæreticos dare flagrat orco.

Nondum Latinis ic̄ta securibus
 Accepit, inquit, hæresis impiâ
 Ceruice mucrones, nec usque
 Teutonicæ timuere turmæ.

Incumbe grandi Pontificis pedo,
 Si feriari non finit Herculem
 Antæus, obtritique spirant
 Seminecis fera colla monstri.

Asfibilantes TV colubri minas,
 Et bellicosus è Nemeis iugis
 Rictus, & immanes hiatus
 Fulmineo prohibebis ic̄tu.

Mox versipelle excuditur **INTERIM:**
 Mentitur illud, vafraque pagina
 Et amphidextra artem Pelasgam
 Contegit, & nocitura celat.

Accedit illis vsque nouum malum,
 Depræliante, heu ! Cæsare Carolo
 Johannes ille Fridericus
 Austriacis superatur armis.

Constanter autem reiicit **INTERIM,**
 Et Magdeburgi Virgo, tenax sui

Juris

Juris vetusti, hoc vilipendit,
Aufoniô crepitante cætu.

At, dum JEHOVAE moderante dextrâ,
Electoꝝ armis Mauritius potens
Victoriosum ducit agmen,
Inducias facit ipse Cæsar

Cum Saxone, vt Gallos vinceret æmulos,
PASSAVICO que hanc constabilit loco
Confessionem Augustæ amatam,
Pacificô superûm fauore.

Fidemque nostram fœdere duplici
Firmando firmat, nec sua libera
Vult vota frangi, Saxonemque
Restituit Deus, atque Cattum.

Tu, magne rerum Rector & Arbiter,
Ecclesiam auges, perque tot ardua,
Per senticeta, per rubeta,
Per salebras, & iniqua ducis.

Horresco, quando tempora pondero,
Albanus, illud fulmen Ibericum,
Cum res Batauorum cruentô
Mergere diluuiô parabat.

O quanta cædes! quanta protervitas
Audita terris! carnifices feri
Lassantur ipsi, dum trucidant,
Vna ferit laniena cunctos.

Non tanta campos Pharsalicæ tegit
 Ruina stragis, tanta nec ensium
 Procella, cum pingues Latinis
 Cædibus erubuere Cannæ:

Romana dum per viscera patrio
 Omen Gradiuo quæreret Hannibal,
 Terroque cedentes & igni
 Impiger exsuperaret Alpes.

Expulsa in his est stirps mea nobilis
 In Chersonesum transfuga Cimbricam,
 Sed liberos reddit Batauos,
 Et profugos sibi seruat æther.

Vt quondam Hebræi, Niliacis agris
 Pulsi, hîc & illic quærere patriam
 Erant coacti, quique tuti
 In mediâ fuerant Eremô.

Quem non Auernum concutit impius,
 Rufus, rebellis, terribilis draco?
 In ter decennali tumultu
 Teutonicæ hoc bene nostis aræ.

Quis lacrymando temperet? aut filex
 Tam dura nobis pectora muniat?
 Cum cogitet, quæ Papenheimus,
 Tillius, atque alii tyranni

Strauere, fusô nostrô Alemannicô
 Cruore, raptis virginibus sacris,
 Raptis puellis, & necatis
 Matribus, & moriente fœtu!

Quod

Quodsi fuissent tunc Aquilæ Austriacæ
Victoriosæ, Relligionibus
Nostris sacris actum fuisset,
Et pietas abiisset exsul.

At dia sancti gratia Numinis
Miserta nostri est, atque Trionibus
GVSTAVVM ADOLPHVM concitavit,
Obsidione Pragense factâ.

Quæ victa Suecô milite melleam
Pacem reduxit Teutonicidûm gregi,
Quæ, tot triumphis aucta, sanctô
Fœdere Westphalico reluxit.

Etsi hanc superbus Liliger eruit,
Wormatiâ exustâ, tum cineri datâ
Spirâ vetustâ, morte regis
Vita redit veneranda templis.

Gregem piorum crescere vidimus,
Piasque voces suaviter exserit
Cohors fidelis, pristinoque
Reddidit Eusebiam nitore.

Namque obloquuti murmure desinent,
Tandemque victas vsque dabunt manus,
Frustra obviant Leucoræâ,
Ac reliquis creperis Lyciscis.

Stellæque quamvis deciderint Polo
Cauda draconis, ad Babylonicum
Regnum reuersæ, cæteri almæ
Eusebies in amore perstant.

SPENERVS ô si viueret inclytus!
 Senexque Johannes ter pius ARNDIUS,
 Augustæ amator veritatis,
 Dogmata sancta sequi parati!

Quæ non canentes pura epinicia
 Sacroque pleni Numine soluerent
 Grates deuotas, JVBILAEO
 Toti hilares, memoresque nostro!

Num Jubilæum tempore tertium
 Sit reuersurum, nouerit hoc Deus
 Ac posteris, spes parua restat,
 Veridico præeunte verbo.

Namque appropinquant vltima tempora,
 Aeöniamque ebuccinat angelus
 Euangelizans veritatem,
 Qui volitat medium per orbem.

Vah! Antichristus irruit, irruit,
 Qui solus exlex viuere gestiet,
 Legesque cunctæ nationi
 Et tribubus populisque figet.

Hic tollet aras, nec finet hostias
 Afferre laudum, mox geminos pios
 Testes trucidabit, sereno
 Ense Dei feriendus ictu.

Tunc omnis orbis iubila concinet,
 Et Jubilæum luce serenius,
 Cum septimum fractum est sigillum,
 Et tuba septima voce clauxit.

Inte-

Interea nos' pfallere canticum
 Non desinemus, puraque mentibus
 Libamina optimo daturi
 Thuraque feruidiora **CHRISTO.**

Innubis illa ac innuba Veritas
 Victura vincet! plaudite dissitæ,
 Sublimè gentes! Jubilæo
 Per medium penetrate mundum!

Sunt, qui **LVTHERVM** carmine tertium
 Dicunt Eliam, & magnificum Angelum
 Annunciantem gloriosa,
 Nuncia dantem ad aperta cælo.

Præcursor Teuto hic, confiteor, fuit,
 Deique per hunc gloria permeat:
 At maior instat Præco Verbi,
 Ante diem veniens supremum.

Tunc totus orbis iubila concinet,
 Serena cælo ter remeantia,
 Euangelique æterni amicam
 Percupida bibet aure vocem.

Nam spurca Thais Romula, olens nimis,
 Quæ purpurata & mystica dicitur,
 Collapsa primum per **LVTHERVM**,
 Denuo percipiet ruinam.

Audi-

Auditis? Astris vox grauis insonat,
 En! lapsa, lapsa est vrbs Babylonia,
 Vegrandis fornicationum
 Matet, adultera, mæcha, pellex!

Sed antequam alto corruat e throno,
 Assurget audax, atque videbitur
 In Bestia fessura, toruo,
 Coccineo, horribilique monstro.

Quis esse talem credat adulteram,
 Gemmis & auro diuite nobilem?
 Sed bestia hæc, quæ portat illam,
 Prostibulum docet esse fœdum.

Accensa scortô fortius irruet
 In innocentes trux fera, & ebria
 Fit lena sanctorum cruore,
 Atque adipe exfaturata Fratrum.

Post hæc casura est: Tunc phialæ graues
 Fundentur irâ Numinis vltimâ,
 Et ipsa ceu saxum molare
 In pelagum recidet profundum.

Sancti at resurgent, vertice fulgidi,
 Eruntque amicti sindone ianthina,
 Pœnamque in albidis caballis
 De Latia meretrice sument.

Falsus propheta , & Bestia cornubus
 Horrenda , in orcum truditur infimum ,
 Dæmonque millena catena
 Tartareo religatur antro.

Exinde læta totus imagine
 Respirat orbis , fudaque Veritas
 Vbique diffundet nitorem ,
 Neue opus , vt doceatur vllus.

Omnes ab vno sunt dociles DEO ,
 Scisfæque gentes relligionibus
 Certare dediscent , & vnum
 Numen erit , vti nomen vnum.

Lances & enses , spiculaque horrida
 In falcium vsus , & aratra versi :
 Regnabit in toto ferenum
 Orbe vago , domibusque Honestum.

Aurata currunt secula , mellea
 Consurgit ætas , nescia fallere ,
 Aut falli , aperta Lux , & almis
 Pax viget intemerata terris.

Hoc JVBILÆVM est , Septima vbi tuba
 Clangit triumphis , gaudiaque intimat ,
 Gentes ut extollant beatum
 Mente simul , labiisque Numen!

E

Sed

Sed JVBILÆVM maximum & optimum
Luceſcet, & tunc maxima erit quies,
Rotis rotarum myſticarum
Millibus interea peractis.

Malum & malorum cauſa ibi deſinit,
Pænæque ceſſant, & queruli ſoni,
Laus quando vbique, quando Numen
Omnia in omnibus eſt, eritque.

Not. Supra p. 13. poſt ſtropham: *Illam Lutheri mens pia, &c.*
—— *Quisquiliis operum, fatetur: hanc, quam ſubiicimus,*
ſerius tranſmiſſam, interfere:

Vah! quæ tenebrarum vmbra papifticum
Ursère regnum! CHRISTVS erat procul
Remotus, & gentilis ille
Sanctus Ariſtoteles vocatus!

* * *

Lucan. Pharſal.

CERNETIS NOSTROS JAM, PLEBS ROMANA,
TRIVMPHOS!

